



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano accommodata

Hermann Werner <Paderborn, Bischof>

Nevhsii, 1687


De confirmatione brevis. §.




urn:nbn:de:hbz:466:1-36005

lavat sordes, & mundat peccata. Tibi igitur præcipio omnis spiritus immun-
de, omne phantasma, omne mendacium, eradicare & effugare ab hac creatura
aquæ salientis in vitam æternam, regenerans eos deo Patri, & Filio, & Spiritui
sancto in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare
vivos & mortuos, & sæculum per ignem. **R. Amen.**

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne deus, aquarum spiritualium
sanctificator, te suppliciter deprecamur, ut ad hoc ministerium humilita-
tis nostræ respicere digneris, & super has aquas abluendis & purificandis ho-
minibus præparatas, Angelum sanctitatis emittas, quo peccatis vitæ prioris
ablutis, reatuq; deterfo, purum sancto Spiritui habitaculum regenerati effici
mereantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui te-
cum vivit & regnat, in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus: Per omnia sæ-
cula sæculorum. **R. Amen.**

Tunc sufflet ter in aquam versus tres partes, secundum hanc figuram  deinde imponit in-
censum in Thuribulo, & fontem in censat. postea infundens de oleo catechum. in fontem
in modum Crucis dicit.




Sanctificetur, & fœcundetur fons iste oleo salutis, renascentibus ex eo in
vitam æternam in nomine  Patris, &  Filij & Spiritus,  sancti.

R. Amen.

Deinde eodem modo infundit de chrismate dicens.

Infusio chrismatis Domini Jesu Christi, & Spiritus sancti Paraclleti, fiat
in nomine sanctæ Trinitatis. **R. Amen.**

Postea accipit ambas ampullas Olei & Chrismatis, & de utroq; simul in modum Crucis in-
fundendo dicit.

Commixtio Chrismatis sanctificationis, & Olei unctionis, & aquæ bap-
tismatis, pariter fiat, in nomine Patris  & Filij  & Spiritus  sancti.

R. Amen.

Tum depositis ampullis, dextrâ manu oleum sanctum & chrisma infusum miscet cum aqua
& spargit per totum fontem. Deinde manum detergit, baptizandos baptizat. Si neminem bap-
tizat, statim manus abluat, ablutio fundatur in Sacrarium.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Cum materia, forma, ordo, & ritus hujus Sacramenti Episcopum, veluti Ministrum hujus con-
cernat, hic de his nihil ponitur nisi quod Parochi Confirmationis Sacramentum, ejusq; effe-
ctum, gratiam scilicet majorem ad resistendum Diabolo & tentationibus, suis diligenter explicent,
ut & in statu gratiæ suscipiatur. Curabunt etiã, ut omnia tam Confirmatorum, quam parentum &
patrinorum nomina exactè notentur, quatenus confirmationis testimonia dare valeant; & de cog-
natione spirituali inter confirmatum ejusq; Parentes, & Patrinum contracta cognoscere. Et si
fortè contingat, quosdam inveniri, qui hoc impedimento posito, nihilominus matrimonium con-
trahere vellent, Parochi de super Superiorem loci informare valeant.

Fascia post triduum solvatur & detergatur frons, fasciaq; comburatur.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Poenitiæ Sacramentum, relapsis post baptismum unicum salutis remedium, à Sacerdote
proprio, vel alio ad id delegato, & ab Ordinario antecedentè approbato, tanto administretur
accuratius, quanto petitur frequentius: ne vel ignorantia Ministri, vel nimia facilitate à quibusvis
casibus absolvendi vilescat, vel nimia hæsitacione & scrupulandi morâ fiat exosum.

Materia